Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

gent ad uocem uolucris. et obsurdescent
omnes filie carminis. excelsa quoque ti
mebunt et formidabunt in uia. Flo
rebit amigdalum. impinguabitur lo
custa. et dissipabitur capparis. quoniam ibit homo
in domum eternitatis sue. et circuibunt
in platea plangentes. antequam rumpa
tur funiculus argenteus. et recurrat uit
ta aurea. et conteratur ydria super fontem.
et confringatur rota super cisternam.
et reuertatur puluis in terram suam un
de erat. et spiritus redeat ad deum qui dedit il
lum. Vanitas uanitatum dixit
ecclesiastes. et omnia uanitas. Cumque esset
sapientissimus ecclesiastes. docuit populum
et enarrauit que fecerat. et inuestigans
composuit parabolas multas. Quesiuit
uerba utilia. et conscripsit sermones rec
tissimos ac ueritate plenos. Verba
sapientium sicut stimuli. et quasi claui
in altum defixi. que per magistrorum consilium
data sunt a pastore uno. His am
plius fili mi ne requiras. Facien
di plures libros nullus est finis.
frequensque meditatio carnis af
flictio est. Finem loquendi omnes pari
ter audiamus. Deum time et mandata
eius obserua. Hoc est enim omnis homo.
et cuncta que fiunt adducet deus in iudi
cium pro omni errato. siue bonum siue malum
sit. Explicit Ecclesiastes. Incipiunt
cantica canticorum.

Osculetur
me osculo
oris sui.
quia me
liora sunt
ubera tua
uino.

fraglantia unguentis optimis. O
leum effusum nomen tuum. ideo adolescen
tule dilexerunt te. Vox ecclesie. Tra
he me. post te curremus in odorem un
tuorum guentorum. Introduxit me rex in cella
ria sua. exultabimus et letabimur
in te. memores uberum tuorum super uinum.
Recti diligunt te. Vox synagoge.
Nigra sum sed formosa filie Ierusalem.
sicut tabernacula cedar. sicut pelles
salomonis. Nolite me considerare
quod fusca sim. quia decolorauit me sol.
mee Filii matris pugnauerunt contra me. posuerunt
me custodem in uineis. uineam meam
non custodiui. Vox ecclesie. Indica mi
quem diligit anima mea. ubi pascas.
ubi cubes in meridie. ne uagari inci
piam post greges sodalium tuorum.
Vox christi. Si ignoras te o pulcherrima inter
mulieres. egredere et abi post uestigia
gregum. et pasce hedos tuos. iuxta
tabernacula pastorum. Equitatui meo
in curribus pharaonis. assimilaui te
amica mea. Pulchre sunt gene tu
e sicut turturis. collum tuum sicut moni
lia. Vox amicorum. Murenulas aureas
faciemus tibi. uermiculatas argento.
Vox ecclesie. Dum esset rex in accubitu
suo nardus mea dedit odorem suum.
Fasciculus myrre dilectus meus michi. inter ubera
mea commorabitur. Botrus cypri dilectus
meus michi. in uineis engaddi. Vox christi.
Ecce tu pulchra es amica mea. ecce tu
pulchra. oculi tui columbarum. Vox ecclesie.
Ecce tu pulcher es dilecte mi et decorus.
lectulus noster floridus. tigna domorum no
strarum cedrina. laquearia nostra cypressina.
Ego flos campi. Vox christi. II
et lilium conuallium. Sicut liliu